

in itineribus. Et si fuerit in domicilio Iouis, erit multum diues & faciet multa negocia pro bonis acquirēdis. In domicilio Saturni, facit semper querere thesauros. In domicilio Mercurij, erit subtilis in rebus quæ pertinet ad diuinationes, habebit multa falsa testimonia ex inuidia & pericula. Sed in domicilio suo, uel Solis, facit latronē & deceptorem, & similiter in domicilio Lunæ.

Sol significat itinera in causis honoris & reuerentiæ, uel significat officium regis, & mutationem per regiones, erit honoratus in itineribus extra patriam, & habebit fratres honoratos.

Venus significat amorem inter fratres, & quod diligetur à suis fratribus, & quod sit fortunatus in breuibus itineribus, significat etiam incontinentiam & malum à malis operibus, & multitudinem amicorum contra Deum. Alij uolunt, quod se abstinere à malis operibus, & habebit fratres fortunatos, & habebit multos amicos & socios, erit honoratus in itineribus extra suam patriam.

Mercurius in tertia, significat quod natus erit consiliarius fratrum suorum, & profectum sentiet in mercimonijs, & in itineribus propinquis, significat fortitudinem fratrum sororum, & amicorum, dat fratres & sorores, & multos amicos, erit fortunatus in itineribus. Et si fuerit in domicilio proprio, uel Iouis uel Saturni, facit doctissimos in omni scientia, & inueniet res suo ingenio, quas nūquam didicit ab alijs, habebit bonam fortunam in profectioibus, & bene uolent illi sui consanguinei & fratres, erit fortunatus in rebus ecclesiasticis, scriptura & mercaturis. Et si fuerit Mercurius in Geminis, aut Libra, facit magnos Musicos, & cantores perfectos, praesertim in coniunctione, uel in bono aspectu Veneris.

Luna existente in tertia, natus multiplicabit itinera, & raro fixus in uno loco permanebit significat etiam gaudium ex diuitibus, sublimitatem à regibus, peregrinationem, amicos, & negocia cum nobilibus, dat itinera honorabilia, utilitatem, & letitiam, & exaltationem a rege, aut magno domino, dat multos amicos nobiles, & uentur opera ipsius in legatione, erit inclinatus ad itinera breuia, pacificus cum fratribus, & consanguineis.

Caput in tertia, facit nobiles, & fortunatos fratres, & natum esse deterioris conditionis, quam fratres suos, dat exaltationem in rebus ecclesiasticis, facit prelatos timentes Deum, & dat bonam fortunam in profectioibus paruis.

Cauda, significat destructionem fratrum, & sororum, & natum esse meliorem suis fratribus, habebitq; lites cum consanguineis uicinis, & infortunam in breuibus itineribus.

#### De quarta domo.



Aturnus in quarta, non in domicilio, uel exaltatione sua, significat quod in rebus immobilibus non prosperabitur, destructiones ædificij, & terrarum, seminum & thesaurorum, & periculum ab ipsis patietur. Talis natus destruet id quod habebit. Si non habuerit patrimonium, erit semper pauper, mater eius erit de uili conditione, & non diu uiuet. Si autem fuerit in domicilio, aut exaltatione sua, dat diuitias in rebus stabilibus, mater eius erit honorata, & homines confident in eo.

Iupiter hoc in loco facit natum fortunatum in possessionibus immobilibus, & significat gaudium ex reliquijs mortuorum, terris, hæreditatibus, securitatem ab horribilibus, inueniet thesaurum, aut bonum non cogitatum, & sine labore, dat diuitias ex rebus stabilibus, in medio uitæ depressionem, fortunam uersus finem, pater eius erit honoratus, & uiuet longo tempore, sepelietur in locum honoratum, erit laudatus omni tempore, etiam post mortem.

Mars in quarta significat destructionem domorum, & combustionem ex igne